



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VI. De subiecto, fundamento, ratione fundandi, ac termino relationis
prædicamentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

prædicamentum relationis non pertineant secundum se sumptæ, sed ad aliud, tumentur Scotistarum, Thomistarum, Nominaliumque plerique; eosque ante eadem magis inhære sententiæ, quam contrariæ Plato, & Aristoteles, & cum vtroque veteres quique Peripatetici, & Academici.

74 Secundum argumentum conuincit Thomistas, aliosque, quosdam auctores perperam probare distinctionem adæquatam, & reciprocam relationum transcendentalium, & prædicamentaliū: vnde non causam malam esse, sed malum eius patrociniū: Nobis autem, qui aliis vtimur probamentis, aliterque communi causæ patrociniamur, ac succurrimus, quid obitare potest aliorum præuaricatio? Tertium argumentum dissolui debet quoad primam eius partem admissa sequela, videlicet omnem veram quantitatem esse prædicamentalem, necnon omnem qualitatem veram pertinere ad prædicamentum qualitatis: quamuis enim vtraque vageretur per reliqua prædicamenta; ast ita tamen, vt ab eis distinguatur ratione, non quacunque, sed adæquata, & reciproca: nam licet substantia materialis sit per se ipsam realiter quæta, ac non nisi per formalitatem quandam à se diuersam omnino: idemque dicendum de qualitate quatenus excurret in cætera suprema genera. Verum vbi omnis propria relatio sit prædicamentalis, prædicamentum ad aliquid haudquaquam distinguetur à cæteris ea distinctione rationis, quæ sit mutua, & adæquata, vt superius est declaratum, vtque sponte sua est manifestum; nunquam enim inter rationem superiorem, & inferiorē tanta distinctio intercedit, nunquam ambæ tanto intervallo separantur inuicem. Posterior autem eius argumenti pars à quantitate, & qualitate ad cætera digrediens prædicamenta eandem habet vim, quam superius proximè solutum: quocirca non est ei, quod immoremur amplius, non sine temporis, & operæ iactura.

75 Quartum argumentum dilui debet distincta in cognitione, & amore duplici relatione: alia videlicet, quæ sit alterutri realiter eadem, & vtriusque constituat essentiam; hæc autem est transcendentalis, siue sit cognitionis, & amoris ad potentiam, siue potius ad obiectum, non vero prædicamentalis: alia verò, quæ posita sit, tum in entitate vtriusque actus, tum in obiecto ad quod feruntur, ac proinde, quæ sit vtriusque complexio, & altarutri, partim intrinseca, partim extrinseca, atque huiusmodi relatio est, quæ ab Aristotele, & cæteris dici solet prædicamentalis: ea vero non est transcendentalis, sicut prior, vt per se videtur perspicuum. Simili modo potest fieri satis, cumulatæque, tum quinto, tum etiam sexto argumento: namque relatio potentie, vel actione, vel mensura suffulta, ea si sit fundamento essentialis, & realiter eadem, tantum est transcendentalis, nequaquam vero prædicamentalis: contra verò, quæ sita est in coexistentia, & cumulatione fundamenti, & termini, videlicet potentie & effectus, mensuræ, & rei mensurabilis est prædicamentalis, non verò transcendentalis. Quamquam autem ad plerasque relationes prædicamentales à transcendentalibus, atque è conuerso secernendas peculiaria nomina desint, atque in prima specie præter similitudinem, & dissimilitudinem, æqualitatem, & inæqualitatem, & in secunda præter paternitatem, & filiationem eius instituti non sint alia: Cæterum ob id alia prout ab aliis distinctæ negari non debent, aut verti in dubium: inconsultè siquidem egisset cum natura Deus, si nihil esset in ea admittendum, cuius non suppeteret nobis proprium vocabulum, ac veluti character

peculiaris; aut si eius perfectioni, & rerum, quibus condecoratur numerositati, ac varietati nostra posset infantia præiudicium aliquod importare. Vide si placet, quæ infra differemus lib. 5. huius operis tract. 1. cap. 8. inter tuendas quaidam differentias entis latentes, atque innominatas: hic enim ea facile accomodaris.

76 Septimum argumentum eos solos vrget, qui relationes rationis esse censent prædicamentales; non nos qui ambas distinguimus, ac nihil eas habere commercij putamus. Ad octauum, & postremum argumentum dici potest, definitionem relationis prædicamentalis haud esse accipiendam eo sensu, qui obiicitur, sed alio valde diuerso; vt perinde sit relationem huius prædicamenti totam esse ad aliud, atque eam nullam importare entitatem, aut perfectionem fundamento intrinsecam: ita verò palam est illam definitionem in relationes transcendentales neutiquam conuenire: en vtriusque relationis vtrunque discrimen problematicè defensum manet, ac non paucis eas circa difficultatibus itum est obuiam vna, eademque opera.

C A P V T VI.

De subiecto, fundamento, ratione fundandi, ac termino relationis prædicamentalis.

77 S**U**biectum relationis prædicamentalis est id, cui sine: fundamentum est ratio, seu causa, quæ propter in subiecto resultat, ratio vero fundandi conditio sine qua non potest, nec solet ita resultare. Subiectum aliud est remotum, seu radicale, aliud proximum, & formale: quando namque Petrus dicitur similis Paulo, quia vterque est albus, substantia Petri intuitu talis relationis rationem habet subiecti remoti, & eius albedo proximi. Rursus fundamentum, aliud est remotum, aliud proximum: illud est, vt exemplo instam eidem, albedo Petri, quæ quæ est in causa, vt ambo sint similes: ea, inquam, secundum sese: hoc vero eadem albedo simul cum ratione fundandi, seu conditione relationis.

78 Quæ etiam est duplex, alia nimirum intrinseca, vt cum referuntur quantitates aliquæ, cuiuslibet vnitas: cum qualitatibus, similiter necnon alterutrius substantiæ vnitas formalis, & positiua, si substantiarum sit habitudo: nisi enim in Petro, verbi, gratia, esset quædam vna quantitas cuiusmodi est in Paulo, vnaque qualitas, aut substantia, haud posset ad eum referri per similitudinem, æqualitatem, aut idemcitatem quandam, quandoquidem omnis relatio est inter plura, ac proinde inter vnum, & vnum; pluralitas enim est vnitarum collectio, & cumulus: ita vnitas supradicta ad relationes, & alias id genus est est conditio, ac ratio fundandi; intrinseca autem, quia non distinguitur, separaturque vnquam à fundamento, nimirum quantitate, qualitate, aut substantia, quas denominat, quasque efficit, vt referantur expeditas. Alia verò est conditio, seu ratio fundandi extrinseca atque à fundamento distincta, cuiusmodi est actio generatiua, qua transacta manet tamen in Petro. v.g. fundamentum paternitatis; imo etiam hæc ipsa: item inuitu relationis vniti, modus vnionis iacens inter extrema.

79 Subiectum relationis interdum distinguitur ab eius fundamento, vt quando alterum est substantia, & alterum accidens; quandoque illud prius est subiectum

subiectum remotum, & non proximum, & fundamento potius hoc recipiendi proxime munus defert. Interdum verò non distinguuntur inuicem, vt quando substantia ipsa est subiectum proximum relationis, eiusque fundamentum; & vna v. g. est causa, aut effectus alterius, ambæque filiationis, ac paternitatis respectum habent inuicem; aut vna est eadem specificè, vel genericè alteri, ea quidem identitate, quæ ex parte rei non sit proprie talis, sed magis conuenientia quædam, vt sæpius cantum est, vtque in loco fuso ostensum est. Rursus fundamentum aliquando distinguitur à ratione fundandi, vt cum hæc est extrinseca fundamento, aliquando vero indistinctum re vera, neque nisi ratione, ac virtualiter diuersum, vt cum illa est intrinseca, cuiusmodi est vnitas qualitarum, quantitarum, aut substantiarum, vt prædictum est semel atque iterum. Quin etiam esto fundamentum remotum nihil habeat commercij, cum ratione fundandi extrinseca, eam tamen intrinsece includit quando, & quatenus proximum est, id est quoad eius fieri potest proxime expeditum ad cauendam relationem, eius adueniente termino.

- 80 Hic autem qui solus superest, est id ad quod refertur fundamentum: aliusque est proximus, vt albedo Pauli, cum dicitur Petrus ei similis, quia illius more est albus: alius vero remotus, vt ipsemet Paulus, cui candor inhaeret. Explicata ergo, atque sub vnum mentis obtutum posita natura subiecti relationis prædicamentalis, fundamenti, rationis fundandi, ac termini, reliquum est, vt de eis viritum tractemus, ac nonnullas expediamus quæstiones.

CAPVT VII.

Vtrum Relationis prædicamentalis vnus subiectum vnum esse debeat, aut plurimum, ac similitum esse possit?

- 81 **C**irca subiectum relationis prædicamentalis illud primò quaerendum occurrit, an vnus duntaxat vnum esse debeat, an potius possit esse multiplex? Quæstio autem non habet locum, si relatio prædicamentalis non sit modus à fundamento, & termino distinctus, sed vtriusque complexio; ita enim ea non est vna simpliciter, nec potest esse in subiecto, sed potius est ipsum cui inest subiectum, adiuncta alicuius rei extrinseca concomitantia quadam: supposita autem distinctione illius ab extremis Henric. apud P. Suar. in præsentia sect. 7. n. 3. inter alia indicat modum relationis esse vnum, eundemque in pluribus subiectis, quæ refert inuicem: inesse quidem illis, propterea quod ea referat: esse verò vnum, quia sicut, inquit, est eadem via Athenis Thebas, & Thebis Athenas ita verbi gratia per idem vnus homo conuenit alteri, & è conuerso, vnus est alterius pater, & alter prioris filius.
- 82 **C**æterum nihil dici vnquam potuit magis absurdum: quandonamque albedo exempli causa nequit esse vna in pluribus subiectis, quando vni tantum est astricta ex natura rei, cum interim sit qualitas absoluta à subiecto, certè modus relationis, qui subiectum magis deponit, eique ita est affixus, vt ab illo non possit etiam diuinitus auelli, multo minus liberari poterit ab habitudine ad vnum aliquod subiectum, cui, & non alteri possit insidere. Videnda sunt, quæ supra tract. 4. cap. diximus aduersus eos, qui in ea sententia sunt, vt existiment numerum esse accidens quoddam ab vnitatibus realiter distinctum,

atque in singulis earum ex a quo receptum. Enimvero, vt rectè monet P. Suarez nuper citata sectione septima num. 5. nihil prohibet, vnã, eandemque relationem esse simul in diuersi subiectis inuicem subordinatis, &, quæ non tam referuntur ad se mutuo, quam instar vnus intuentur aliud: quo pacto relatio similitudinis est, tum in albedine, tum in Petro, qui est ea affectus; in illa proxime, & proprie, in hoc verò improprie & interstitio duntaxat illius.

Quæres secundo, an quemadmodum nequit eadem relatio esse in diuersi subiectis, nequeat è conuerso idem subiectum diuersas solo numero suscipere relationes, sin minus ad vnum, eundemque terminum, at certè ad diuersos, & adæquatos, quorumque alter sine altero possit inueniri, atque è regione fundamenti existere: v. g. an tamen nequeat in homine aliquo intuitu alterius tantum esse nisi vnica relatio paternitatis, & contemplatione tamen plurimum, quos genuit, possint esse plures? Hæc quæstio præcedentis instar supponit relationem prædicamentalem esse formam quandam extremis realiter superaditam: haud enim est nisi formæ, vel esse vnã in diuersi subiectis, vel in eodem multiplicem. Eo vero supposito Scotus in 3. dist. 8. quæst. vnica Leuchetus ibidem, necnon Trombera 5. metaph. quæst. 7. eiusque nationis ceteri communiter: item Gabriel, Durandus & alij sententiarij cit. dist. 8. libri tertij: præterea ex nostris Suarez disp. 5. metaph. sect. 8. & disp. 47. sect. 17. Vasquez tom. 4. in 3. part. quæst. 90. art. 1. dub. 4. Fonseca lib. 5. metaph. cap. 15. quæst. 5. sect. 2. Conimb. in log. cap. de relatione quæst. 3. art. vnico. difficult. 2. Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 10. §. 109. Tellez in metaph. disp. 62. sect. 6. conclus. 4. num. 18. censent plurificari posse relationes solo numero, siue inter eandem speciem saltem physicam in eodem subiecto intuitu plurimum terminorum.

84 **Q**uæ etiam sententia mihi magis arridet. Primo, quia in Petro v. g. paternitas qua respicit vnum filium, & ea, qua intuetur alium, sunt separabiles, cum potuerit alterutrum genuisse ingenito alio, & postquam ambos genuit, vno orbari supersit altero: separabilitas autem nunquam, & nusquam non cum distinctione reali coheret. Secundo, quoniam idcirco paternitas (quæ eacunque sit) distinguitur à fundamento, quia hoc ab ea potest separari: atqui paternitas vnus respectiua filij potest scerni ab ea, quæ respicit alium. Tertio; etiam si Petrus sit simul pater plurimum filiorum, prius tamen eam denominationem vendicat contemplatione vnus, quam alterius: contingere etiam potest, vt diutius, ac maiori temporis spatio: Nihil autem seipso prius esse potest, nihil plus durare. Quarto: postquam Petrus est fater vnus filij incipit esse alterius: aut ergo ei tum aduenit aliquid intrinsecè denuo, aut solum ponitur in rebus terminus ei extrinsecus? si secundum: etiam prioris poterit esse pater sine mutatione intrinseca, adeoque sine illa ad quemvis alium terminum prædicamentaltiter referri: cuius contrarium, & non paucis eorum, quibuscum cernimus placet, & ab omnibus ad præsentem supponitur controuersiam, quippè cui non facta ea suppositione, nullus sit locus, aut certè vix vllus: sin autè primò illud intrinsecum aliud esse nequit, nisi noua relatio paternitatis, nouusque modus: facit enim, vt Petrus sit pater eius ad quem eo pacto non referebatur antea. Quintò actio generatiua vnus prolis est sufficiens ratio fundandi vnã paternitatem alterius: ergo generatio denuo adueniens, siue quando est præsens, siue quando transacta, sufficienter fundat alteram, adeoque in eundem hominem respectu mul-
torum